



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

VII. Qualis erga se fuerit in eo munere constitutus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

nem electi sunt, tantum ipsi sibi sunt gratulati, quantum reliqui sacra æmulatione inuiderunt: quippè quo tempore ibi Xauerius substitit, ubi auditum est comites in Chinam, operarios in Iaponiam desiderari, quisque pro se non tam Xauerium, quàm ipsum Deum sollicitabat, à quo motum aquæ non ipsi minùs, quàm Xauerius exspectarent. Qui porrò ad sarcinas remanserunt, solo se desiderio solantes, in templo pro B. Xauerij salute, & euentu tantæ rei supplicabant; nonnulli etiã ad mare vsque comitati, omnes sua vota eodem, quò corpora non poterant, transmiserunt.

CAPVT VII.

Qualis erga se fuerit in eo munere constitutus.

NE in eorum, quæ breui tempore in eo munere infinita Gaspar gessit, commemoratione fluctuemus, & in tanta rerum multitudine sine ordine diuagemur, eum ordinem mihi proposui ferè

212 VITAE GASP. BARZANI
ferè seruandum, quem Ludouicus
Froez eius temporis scriptor egre-
gius obseruauit; cui sanè multum
vel hoc nomine debemus, quòd res
Gasparis ab interitu vindicari-
t: quanquam non semel stomachum
mihi mouerit, quòd animi demissi-
one inutili ab ijs rebus abstinerit,
quæ illustriores erant: quarum cõ-
memorationem cum alijs cedat, ij
malè videntur suam fidem exfol-
uisse, nisi quòd in ea locorum tem-
porumque distantia, quod crebrò
fieri solet, multa perierunt. Is igitur
enumerat ea primùm, quæ cum
nostris, deinde cum ijs, qui nostræ
curæ in Seminarijs subiacebant; po-
stremò, quæ cum reliqua vrbe cum
laude perfecit. Ego verò primùm
addam ea, quæ secum ipse, tanquam
vnde cetera omnia dimanarint;
quæque in epistola ad P. Simonem
in Lusitaniam, velut ad parentem
ingenuè & consilij causa scripsit, ea
transcribam, tum ad reliqua dicto
ordine procedemus. Hoc igitur ho-
noris onere, quod ipse iugū impor-
tabi-

tabile solebat appellare, oneratus
 veriùs quàm honorat^o, ita præ mæro-
 re obruebatur, vt iã sibi alius omni-
 nõ videretur. Tanta in eo erat mo-
 destiã ac obedientiã concertatio, vt
 cum ab illa infimùs esse cuperet, ab
 hac vix quietus in eo munere confi-
 steret. Sanè de ea animi alternatio-
 ne ac varietate, in epistola ad P. Si-
 monem Rodericum queritur, ac se-
 parùm indifferètem & æquabilem,
 iniquo animo iugum obedientiã
 sustinere; quod quidem ipse iugum,
 velut grauem suorum peccatorum,
 vt aiebat, poenam subiuerat: qui-
 bus factum esset, vt id maximè pati
 cogeretur, quod maximè abhorre-
 bat; & eo priuaretur, quod maximè
 cupiebat, scilicet spe Martyrij, in
 infidelium conuersionem intento,
 consequendi. Sed ita tamen ipse se-
 ipsum expugnauit, vt non ideò re-
 missior fuerit in suo munere exe-
 quendo: quod quidem admiratione
 dignissimum est, hominè ita secum
 perpetuò pugnantem, & alieno a-
 nimo quod sui erat officij peragen-
 tem

tem

tem, tantoperè in eo profecisse, vt
 excepto vno Xauerio nemo vel à
 nostris vel ab externis ex India scri-
 bentibus inueniatur sic collauda-
 tus.

Itaque mox à discessu Xauerij
 priusquam ad alios iuuados aggre-
 deretur, sui primùm ipsius, à quo in
 ceteros, velut è capite in membra
 bona omnia oportebat deriuari, cu-
 ram gessit. Nam extemplo se in cu-
 biculum abdens, aptis Societatis
 nostræ commentationibus operam
 dedit; ac tum quidem in ipso medi-
 tationis igne reor omnia ista esse
 cusa, quæ toto deinde tempore, ad
 proximi salutem admiranda per eū
 Deus perfecit. Et quid mirum? Erat
 in eo tanta animi submissio, virtu-
 tum omnium fundamentum, quan-
 ta ad illud virtutis fastigium erat
 necessaria. Nihil illo in imperando
 modestius, cuius consuetudine ne
 tantillum efferri visus; mitis & be-
 nignus in omnes, in se asper, Xaue-
 rij æmulator egregius, cum nullo
 hominum genere illibentiùs, quam
 cum

cum magnatibus sermonem conferebat; & verò cum nullis magis auctoritatem retinebat suam. Vulgò eum magni omnes verebantur. neque enim ipse ab ijs admonendis, si quando opus erat, abstinerebat: cum infimis quibusque mira facilitate utebatur. Interim semper ipse se ipsum, spe successoris breui adfuturi solabatur; quam rem ita curavit, facile ut appareret, quanti eam aestimaret. Mittebatur eo tempore à Gaspare, iussu Xaverij, in Lusitaniã ad Regem & P. Simonem, idem deinde Romam ad B. Ignatiũ, Andreas Fernandez, è Societate nostra, vir insigni prudentia & virtute; sed ex ijs quos temporalium rerum Adiutores appellamus: ac simul ibat Bernardus Iapon, homo nobilis, cuius socius Matthæus, item Iapon, Goæ iam interierat, videndi orbis Christiani causa; Fernandez verò, ut ijs, quos dixi, Societatis in India statum coram explicaret, necessitatem proponeret, subsidia impetraret. Huic Goensi Collegio, præter Magistros



gistros

6 VITAE GASPAR. BARZAEI

gistros aliquot vel Philosophiæ vel
Theologiæ, petebatur, qui in Xau-
rij locum è Societate professa, vir
magno vsu & prudentia, præesset
Indiæ vniuersæ. Id verò quàm erat
Gaspari cordi, tum Andrea coràm,
& P. Gonfaluez, Indici nuntij baiu-
lo, per litteras diligenter commen-
dauit, atque vt efficeret, ab illo pro
arcta necessitudine efflagitauit: si-
mul in Aethiopia mitti conten-
dit, cùm iam Rex Abyssinus ad ex-
cipiendum Patriarcham, de quo
tum agebatur, nõ esset comparatus.
Ea de re ad B. Ignatium & P. Simonẽ
litteras dedit, quinquaginta Missas
huic pollicitus, si voti fieret com-
pos; ad Regem item Lusitaniæ, ac
quod mirè, ad Preste-Iannem, &
ad Lusitanorum in Aethiopia Præ-
fectum. Quid responsi ab alijs acce-
perit, me fugit: at B. Ignatius anno
1554. rescripsit, posse Gasparem in
Aethiopia ire, si è Lusitania illo
anno nemo mitteretur; sibi tamen
magis è diuino obsequio videri, vt
Goæ remaneret. Sub id tempus in
ægritu-

ægritu-
adm
ex ite
dieb
mun
labo
bus,
abess
Ipse
lans,
si cur
esset,
gro fi
tis iu
posse
nibu
domi
rum i
nunc
mi; q
diæ: l
rùm
prox
nume
ni cõ
nus,
num

ægritudinem lapsus, omnes maiori
 admiratione compleuit. Laborabat
 ex stomacho grauissimè, qui fasti-
 diebat ferè omnem cibum, aut sui
 muneris oblitus, coquere renuebat:
 laborabat & pectore & tormini-
 bus, atque ita grauiter, vt proximè
 abesse periculo omnes iudicarent.
 Ipse tamen dolores suos dissimu-
 lans, omnia contemnebat, & velut,
 si cum infirmaretur, etiam potèti-
 or esset, ita laborabat, vt ea quæ ab æ-
 gro fieri solita commemorantur, sa-
 tis iustis occupationibus sanos tres
 possent distingere. Ter diebus om-
 nibus sacris concionabatur; semel
 domi, semel in æde primaria, & ite-
 rum in D. Virginis, quæ à Rosario
 nuncupatur; tertia feria item do-
 mi; quarta in Sodalitio Misericor-
 diæ: sexta feria domi iterum. Cete-
 rum in pœnitentibus excipiendis,
 proximi salute varijs ac propè in-
 numeris modis procuranda, nemi-
 ni cōcedebat. Officij porrò sui mu-
 nus, negotiorum varietate maxi-
 mum, maxima cura administrabat;

O 3 atque

atque interim de molestia de sumptibus ægritudinis suæ seriò querebatur, potissimùm, si quãdo ex medici præscripto sorbilibus ovis sacchari paululum, qui ægros curabat, admisceret. Parua hæc quidem, sed apud peritos magnæ virtutis indicia: quæ delibo tantùm, & consultò eorum partem maximam, vel multitudinem, vel rerum similitudine inductus prætermitto.

CAPVT VIII.

*Nostros quantum in spiritu litterisq;
promouerit.*

CVM non nesciret Gaspar sacrae messis fructum ab ipsa ferè messorum industria dependere, primùm in eam rem incubuit, vt quos domi habebat, quoniã in spes magnas alebantur, magnis quoque ad eam rem subsidijs instrueret. Ea è Societatis maximè instituto duo cùm sint, Virtus & Eruditio; ab ea coepit, quæ fundamentum alterius esse debet. Oportebat enim vim eruditionis ab ipsa virtutis
exer-